

Epistola ad *Galatas* ad Epistolam ad *Hebraeos*. Manifeste igitur prior ejus Pars ab hac posteriore divulgata est. Incipit haec a Prologo hujus modi: *Paulus Apostolus &c. Hanc Epistolam scribit apostolus galatis, galate autem sunt greci &c.* et finit: *purgatio peccatorum et alia dei munera sint cum omnibus uobis. Amen.* Post relatam supra *ὑπογραφήν* Scholaris ille, qui inter antiquissimos *Viennensis* Gymnasii censeferi potest, adjectis tribus lineis ignoto caractere exaratis crucem fixit lectoribus, cui revelendae inmorari non est visum operae pretium. Collectanea *Petri Lombardi* in *Paulum* e PP. saepius prelo subjecta extant.

Membrana Codicem ambiens mutilas exhibet *Literas Johannis XXII.* datas *Avenione V. Kal. Maj. Anno Vndecimo*, itaque 1327. quibus injungit *Abbati S. Martini de Sacromonte Pannonie Jaurien. dioc.* ut procuret restitutionem variorum Bonorum et Instrumentorum ad Capitulum *Pofoniense Strigonien. dioc.* pertinentium, quae a nonnullis ignotis Filiis iniquitatis occultata detinebantur.

CCI.

U. 31 Codex partim membraneus, partim chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 397. f. per duas columnas bene exaratus et rubricis enotatus, quem ad Collegium beate *Mariae Virginis domus Rubee Rose* apud fratres *predicatores In Wyenna* testamento dedit *M. Paulus ex*

Melico art. et sacrae paginae Prof. *ac ecclesie ad sanctum steffanum decanus premeritus mortuus in die prisce Virginis 1478.* ut *Theca Codicis* anterior perhibet, complectitur *Nicolai de Lira O. M. Postillas in Epistolas D. Pauli, VII. Canonicas, Actus Apostolor. et Apocalypsin*, quibus additur fol. 382. *Questio Nicolai de Lira contra iudeos.* Initium est: *Ecce descripsi eam tibi tripliciter &c.* Ad calcem Paulinarum: *Explicit — Anno domini M° CCCC° 53° sabato die ante dominicam Letare est finita.* Ad calcem Apocalypseos: *Explicit — Sub Anno domini Millesimo &c. Quinquagesimotercio In Vigilia Sancti Thome Apostoli. Ulricus planck.* Demum ad calcem Quaestionis: *Explicit questio Magistri Nicolai de Lira contra iudeos scripta parisiis Finita Anno domini M° CCCC 1°. Ulricus planck.* Atque hic annus in manifesto mendo cubat; neque enim *Liranus* a. 1340. mortuus Opusculum hoc scribere a. 1401. potuit, neque *Ulricus* illud hoc anno finire, qui finit praecedentia a. 1453. Opusculum istud, quo Christi Divinitas vindicatur, etiam in Editionibus *Postillis* et *Bibliis* glossatis adjunctum esse solet. Incipit: *Utrum ex scripturis a iudeis receptis possit efficaciter probari &c.* Extat tamen et alias impressum. *Ulricum Planck* Theologorum Pedellum fuisse, ex alio Codice liquet.

CCII.